

autem, secundum eum, forma spiritualis habens esse permanens sine fluxu non possit esse subjective in re corporali, oportet, secundum eum, dicere quod talis relatio nexus et conjunctionis sit in anima rationali. Iterum, cum sacramentum sit quid veraciter reale, oportet quod illa relatio sit realis, habens esse cessante omni actu intellectus creati, potissime cum sit effectus causæ realis, et causa dispositiva ad esse etum realem.

II. Ad argumenta Petri de Palude et aliorum. — Ad secundum, quod est Petri, et omnia sequentia, dicitur primo, quod nulla necessitas apparet ponendi talem ornatum absolutum, distinctum a nexus, vinculo et conjunctione relationis, quos ponit sanctus Thomas esse proximam dispositionem ad gratiam. Nec cogit probatio Petri : quia non omnis dispositio est de prima specie qualitatis, secundum doctrinam sancti Thomae. Quod patet : tum quia aliqua pura privatio potest esse dispositio ad formam, ut patet de remotione obstaculi inter solem et aerem; tum quia ratio propinquitatis potest esse dispositio ad lucem et calorem; tum quia aliqua dispositio quæ est qualitas, est de secunda specie qualitatis, puta character, qui est quedam potentia spiritualis; tum quia figura, quæ est de quarta specie qualitatis, potest esse dispositio ad agendum et patiendum. Potissime, in proposito, illud quod est dispositio, non ex natura rei, sed ex divina institutione, potest esse indifferenter absolutum vel respectivum. Verumtamen verisimile est quod, praeter tatem ornatum relativum, imprimatur aliqua qualitas divinitus fundans illum realem respectum. Et ad hoc videtur declinare sanctus Thomas, dist. 31, q. 4, art. 3, in solutione quinti argumenti, ubi sic dicit : « In sacramentis in quibus imprimitur character, traditur potestas ad actus spirituales; sed in matrimonio, ad actus corporales. Unde matrimonium, ratione potestatis quam in se invicem conjuges accipiunt, convenit cum sacramentis in quibus imprimitur character; et ex hoc habet inseparabilitatem, ut in littera dicitur. Sed differt ab eis, in quantum potestas illa est ad actus corporales; et, propter hoc, non imprimit characterem spiritualem. » — Hec ille. — Ex quibus patet quod per sacramentum matrimonii traditur aliqua potestas, vel potentia. Potentia autem vel potestas nominant aliquid absolutum, potissime potentia que est principium actus. Et isto modo posset stare dictum Petri.

Dicitur secundo, quod tale vinculum, sive sit quid absolutum, sive quid relativum, convenientius dicitur esse in anima quam in corpore subjective: quia, licet ordinetur ad reprimendum morbum concupiscentiae, qui subjective est in corpore, non sequitur quod sit subjective in corpore, sed quod disponat ad gratiam, a qua fluit aliquis effectus in corpore, vel in potentiis appetitivis corpori affixis,

cujusmodi est vis concupisibilis, et irascibilis, in quas fluit a gratia, existente in essentia animæ subjective, virtus temperantiae et fortitudinis. Et forte sunt duo nexus: quorum unus, quem dicit materialis, est in corpore vel toto composito subjective; aliis vero, quem vocat spirituale, est in anima subjective. Hoc enim videtur sanctus Thomas sentire, dist. 27, q. 4 (art. 2, q^{la} 1), ut recitatum est in solutione argumenti Aureoli (^a) statim praecedentis.

Dicitur tertio, quod non est multum ad presens propositum, utrum tale vinculum corrumperatur vel desinat esse per mortem, an non. Et, quoad hoc, bene dicit Petrus, quod verisimilius est quod sic.

Ad argumentum contra quæstionem (^b) patet solutio per praedicta (^c).

Et haec de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIONES XXX, XXXI, XXXII.

QUESTIO I.

UTRUM MATRIMONIUM BEATÆ MARÍÆ VIRGINIS HABUERIT
ALIQUA BONA EXCUSANTIA ILLUD



INCA trigesimam distinctionem, et alias sequentes, queritur: Utrum matrimonium beatæ Marie Virginis habuerit aliqua bona excusantia illud.

Et arguitur quod sic. Quia matrimonium ejus fuit univoce matrimonium cum matrimonio aliorum. Sed matrimonium aliarum habet aliqua bona excusantia, ut patet per Magistrum, distinct. 31. Ergo et matrimonium beatæ Marie Virginis habuit illa.

In oppositum arguitur. Quia, secundum Philosophum, 8. *Ethicorum* (cap. 12), amicitia quæ est inter virum et uxorem, est naturalis, et includit in se honestum, utile et delectabile. Sed illud quod de se est honestum, non indiget aliqua excusatione. Ergo nec matrimonio debent bona excusantia attribui.

In hac quæstione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

(^a) argumenti Aureoli. — primi argumenti Pr.

(^b) questionem. — conclusionem Pr.

(^c) Cfr. præsertim art. 3, § 4, ad 2^{um} et ad 7^{um}.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio : Quod matrimonium debet habere aliqua bona excusantia illud.

Hanc conclusionem ponit sanctus Thomas, dist. 31, q. 1, art. 1, dicens : « Nullus sapiens debet jacturam aliquam sustinere, nisi pro aliqua recompensatione alicuius aequalis vel melioris boni. Unde electio alicuius quod aliquam jacturam annexam habet, indiget alicuius boni adjunctione, per cuius recompensationem ordinetur et honestetur. In conjunctione autem viri et mulieris, rationis jactura accedit : tum quia, propter vehementiam delectationis, absorbetur ratio, ut non possit aliquid intelligere in ipsa, ut Philosophus dicit (*7. Ethicorum*, cap. 11); tum etiam propter tribulationem carnis, quam oportet tales sustinere ex sollicitudine temporalium, ut patet, *1. Corinth. 7*. Et ideo electio talis conjunctionis non potest esse ordinata, nisi per recompensationem aliquorum, ex quibus dicta conjunctio honestetur. Et haec sunt bona, que matrimonium excusant, et honestum reddunt. » — Haec ille.

Quae autem sint illa bona, ostendit in articulo sequenti, dicens : « Matrimonium est in officium naturae, et est sacramentum Ecclesie. In quantum ergo est quoddam officium naturae, duobus ordinatur, sicut et quilibet aliis virtutis actus. Quorum unum exigitur ex parte ipsius agentis, hoc est, intentio finis debiti; et sic ponitur bonum matrimonii *proles*. Aliud exigitur ex parte ipsius actus, qui est bonus in genere ex hoc quod cadit supra debitam materiam; et sic est *fides*, per quam homo ad suam accedit; et non ad aliam. Sed ulterius habet aliquam bonitatem in quantum est sacramentum; et hoc significatur ipso nomine *sacramentum*. Bona ergo matrimonii sunt *fides*, *proles* et *sacramentum*. » — Haec ille.

Et ibidem (ad 4^{um}, 4^{am} et 7^{um}) exponit quid significat *proles* et *sacramentum*, prout dicuntur bona matrimonii.

Ex quibus patet ratio pro conclusione in forma,

Secunda conclusio est quod per praedicta bona actus matrimonii excusatur a peccato, et non sine illis.

Hujus primam partem ponit sanctus Thomas, dist. 34, q. 2, art. 1, ubi sic dicit : « Actus aliquis dicitur excusari dupliciter. Uno modo, ex parte facientis, ita quod non imputetur facienti in culpam, quamvis sit malus, vel saltem non in tantam culpam; sicut ignorantia dicitur excusare in toto

vel in parte. Alio modo dicitur excusari actus ex parte sui, scilicet ita quod non sit malus. Et hoc modo predicta bona dicuntur excusare actum matrimonii. Ex eodem autem habet actus aliquis quod non sit malus in genere moris, et quod sit bonus : quia non est aliquis actus indifferens. Dicitur autem aliquis actus humanus bonus duplicitate. Uno modo, bonitate virtutis; et sic actus habet quod sit bonus ex his quae ipsum in medio ponunt; et hoc faciunt in actu matrimonii *fides* et *proles*. Alio modo, bonitate sacramenti, secundum quod actus non solum est bonus, sed etiam sanctus dicitur ; et hanc bonitatem habet actus matrimonii ex indivisibilitate conjunctionis, secundum quam significat conjunctionem Christi et Ecclesie, seu ad Ecclesiam. Et sic patet quod dicta bona sufficienter actum matrimonii excusant. » — Haec ille.

Secundam vero partem conclusionis ponit, eadem questione, art. 2, dicens : « Sicut bona matrimonii secundum quod sunt in habitu, faciunt in habitu matrimonium sanctum et honestum; ita etiam, secundum quod sunt in actuali intentione, faciunt actum matrimonii honestum, quantum ad illa duo bona matrimonii quae ipsius actum respiciunt. Unde, quando conjuges convenient, scilicet causa proliis procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant, que ad *prolem* et *fidem* pertinent, totaliter excusantur a peccato. *Sacramenti* autem bonum non pertinet ad usum matrimonii, sed ad ejus essentiam; unde facit ipsum honestum, non autem actum ejus, ut per hoc actus absque peccato redditur, quia alienus significatio causa convenient. Et ideo solum duobus modis conjuges absque omni peccato convenient, scilicet causa proliis procreandæ, vel debiti reddendi; alias semper est peccatum, veniale ad minus. » — Haec ille.

Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit : « Si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in coniuge, non est aliquid peccatum : quia hoc est quaedam redditio debiti, quod ad bonum *fidei* pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas; et, secundum hoc, est ibi peccatum veniale. Nec ad hoc matrimonium est institutum, nisi secundum indulgentiam, que est de peccatis venialibus. » — Haec ille.

Ex quibus potest formari ratio pro utraque parte conclusionis. — Pro prima quidem, arguitur sic : Illa quae actum reddunt bonum bonitate virtutis et bonitate sacramenti, excusant actum a peccato. Sed hoc faciunt bona matrimonii, quando concurrunt in actu matrimonii. Ergo, etc. — Pro secunda, arguitur sic : Actus humanus cadens super indebitam materiam, vel non relatus ad debitum finem, nec vestitus debitibus circumstantiis, est peccatum. Sed actus matrimonii carens predictis bonis, est hujusmodi. Ergo, etc.

Tertia conclusio est quod beata Maria, non obstante voto virginitatis per eam emisso, contraxit verum matrimonium.

Primam partem hujus conclusionis ponit sanctus Thomas, dist. 30, q. 2, art. 1, in solutione primae quæstiunculae, dicens: « In beata Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit. Virginitas autem, quamvis in se sit optima, tamen, pro tempore illo, ei matrimonium preferebatur, propter exspectationem benedicti seminis per generationem venturi. Et ideo beata Virgo vovit virginitatem tanquam optimum et sibi acceptissimum; non tamen simpliciter, sed sub conditione honestissima, hac scilicet, nisi Deus aliter ordinaret. Nec conditionem apposuit ut dubitaret an vellet virgo permanere, sed an deberet. Et hoc est quod Augustinus dicit in littera, quod proposuit se perseveratram virginem, nisi Deus aliter ordinaret (2). » — Hæc ille.

Item, 3 p., q. 28, art. 3, sic dicit: « Perfectio opera magis sunt laudabilia, si ex voto celebrantur. Virginitas autem in Matre Dei summe debuit pollere. Et ideo conveniens fuit ut virginitas ejus ex voto esset Deo consecrata. Verum, quia, tempore legis, oportebat generationi insistere tam viros quam mulieres, quia secundum carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur. Mater Dei non creditur, antequam despontaretur Joseph, absolute virginitatem vovisse; sed, licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino comisit arbitrio. Postmodum vero, accepto sposo, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit. » — Hæc ille.

Item, ibidem, in solutione primi, sic dicit: « Quia videbatur esse lege prohibitum non dare operam ad relinquendum semen super terram, ideo non simpliciter virginitatem vovit Dei Genitrix, sed sub conditione, si Deo placaret. Postquam autem innovavit hoc esse Deo acceptum, absolute vovit, antequam ab angelo annuntiaretur (6). » — Hæc ille.

Ex quibus patet ratio pro prima parte conclusionis.

Secundam partem conclusionis ponit idem, 3 p., q. 29, art. 2, ubi sic dicit: « Matrimonium, sive conjugium, dicitur verum ex hoc quod suam perfectionem attingit. Duplex est autem rei perfectio: prima, et secunda. Prima quidem perfectio in ipsa forma rei consistit, ex qua speciem sortitur. Secunda autem perfectio consistit in operatione rei, per

quam res aliqualiter finem suum attingit. Forma autem matrimonii consistit in quadam indivisibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur. Finis autem matrimonii est proles generanda et educanda: ad quorum primum pervenitur per concubitum conjugalem; ad secundum per alia opera viri et uxoris, quibus sibi invicem obsequuntur ad prolem nutriendam. Sic ergo dicendum est quod, quantum ad primam perfectionem, omnino verum fuit matrimonium Virginis Matris Dei et Joseph. Non tamen consensit in copulam conjugalem, nisi sub conditione, si Deo placet. Unde et angelus vocat Mariam conjugem Joseph, dicens (Matth. 1, v. 20): *Joseph, noli tiniere accipere Mariam conjugem tuam.* Qued exponens Augustinus, *de Nuptiis et concupiscentia* (lib. 1, cap. 11), dicit: *Conjux vocatur ex prima despontationis fide, quam concebuit nec cognoverat, nec fuerat cognitus.* Quantum vero ad secundam perfectionem, quæ est per actum matrimonii, si referatur hoc ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud matrimonium consummatum. Unde Ambrosius, super Lucam (lib. 2): *Non te moveat quod Mariam Scriptura conjugem vocal: non enim virginitatis erexit, sed conjugii testificatione nuptiarum celebratio declaratur.* Habuit tamen illud matrimonium etiam secundam perfectionem, quantum ad proles educationem. Unde Augustinus, in libro *de Nuptiis et concupiscentia* (lib. 4, cap. 11), dicit: *Omnè nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides et sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit.* » — Hæc ille.

Simile dicit, trigesima distinctione *Quarti*, q. 2, art. 2 et 3.

Ex quibus patet ratio pro secunda parte conclusionis in forma.

Quarta conclusio est quod illud matrimonium fuit legitum, nec indiguit aliqua excusatione sicut alia.

Primam partem hujus ponit sanctus Thomas, trigesima distinctione hujus, q. 2, art. 1, in solutione secunde quæstiunculae, dicens: « Conveniens fuit Matrem Christi matrimonio esse conjunctam, tum propter causas in littera assignatas, tum etiam propter alias. Quarum prima est, ut significaret Ecclesiam, quæ est virgo et sponsa. Secunda, ut per Joseph genealogia Marie texeretur: non enim erat constitutio apud Hebreos ex parte mulierum genealogiam computare. Tertia, ut virginibus excusatio tolleretur, si de fornicatione infamarentur. Quarto, ut Christus nuptias sua nativitate approbaret. Quinto,

(2) Cf. can. *Beata Maria*, caus. XXVII, q. 2. Videtur hic canon a collectore confessus ex variis locis B. Augustini; potissimum ex lib. 1. *de Nuptiis et Concup.*, et ex libello *de Virginate.*

(6) annuntiaretur. — denuntiaretur Pr.

ut major perfectio virginitatis in beata Virgine ostenderetur, dum in ipso matrimonio virgo permanxit. » — Hec ille.

Item; ibidem, in solutione primi, dicit sic: « Post votum virginitatis absolute factum, non potest alius in matrimonium consentire sine peccato: quia, si sif votum solemne, non sit matrimonium verum; si autem sif votum simplex, verum est matrimonium quod sequitur, tamen peccant contrahentes. Votum autem Beatae Virginis non fuit solemne, sed simplex, in corde expressum; nec absolutum, sed sub conditione, ut ex littera patet. Et ideo potuit sine peccato, ex speciali Spiritus Sancti consilio, cuius dispositio conditionaliter in suo voto cadebat, in matrimonium consentire. » — Hec ille.

Eadem ponit, 3 p., q. 29, ubi, art. 1, assignat duodecim rationes quibus fuit conveniens Mariam matrimonio esse conjunctam; et, in praecedenti questione, scilicet 28, art. 4, ubi arguit sic, tertio loco: « Glossa Augustini (2) dicit, 1. Timoth. 5, quod voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere, damnable est (de Bono viduitatis, c. 9). Sed Mater Christi nullum peccatum damnable habuit. Cum ergo despōnsata fuerit, videtur quod virginitatis votum non emisit. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum quod verbum illud intelligendum est de illis que castitatem absolute vovent; quod quidem Mater Dei non fecit, antequam Joseph despōnsaretur; sed, post despōnsationem, ex communī voluntate, simul cum sponso suo votum virginitatis emisit. » — Hec ille.

Ex quibus potest formari ratio pro prima conclusionis parte: Id quod habet multiplicem convenientiae rationem, et nihil contra rectam rationem, lieitum est. Sed matrimonium beatae Marie fuit hujusmodi. Ergo, etc. — Pro secunda parte conclusionis, arguitur sic: Cessante causa, cessat effectus causae adaequatus. Sed causa quare matrimonium requirit aliqua bona ipsum excusantia, non fuit in matrimonio beatae Marie; cum neuter conjugum aliquam jacturam ex illo matrimonio reportaverit, sed potius magnum bonum. Ergo non oportuit quod haberet aliqua bona excusantia et recompensantia damnum.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

§ 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Scotti. — Quantum ad secundum articulum, argendum est contra conclusiones. Et

(a) Augustini. — Hieronymi Pr. — Antiqui codices D. Thomae, post Gratianum (can. 4, dist. 27, et can. 2, caus. XVII, q. 4), haec tribuunt Hieronymo, apud quem non inveniuntur.

quidem contra primam arguit Scotus (dist. 31, q. 4), probando quod non ideo conjugium debet habere aliqua bona excusantia actum propter dānum rationis quod homo in illo actu incurrit.

Primo. Quia in statu innocentiae fuisset matrimonium habens illa bona; nec tamen fuissent tunc excusantia actum carnalem, cum tunc non fuisset ibi aliquid dānum. Ergo nec nunc ponenda sunt tanquam excusantia illum actum.

Secundo: Quia in matrimonio Joseph et Mariae non oportuit ponere aliqua excusantia; nec univer saliter in matrimonio spirituali, videlicet (2) cum pari voto castitatis conjugum.

Tertio. Quia multo magis privatur homo usus rationis per somnum quam per istum actum: et magis secundum intensionem (unde, 1. Ethicorum, cap. 13 (6), dicitur quod felix non differt a misero nisi secundum medietatem vitæ, scilicet in vigilia); et secundum extensionem, quia somnus diu privat, iste autem actus est quasi momentaneus. Ergo nullus secundum rectam rationem deberet se exponere somno, nisi essent aliqua bona excusantia, et meliora istis; quod tamen non conceditur.

Dicetur forte quod ibi sunt bona excusantia, scilicet (7) necessitas naturæ et confortatio organorum: quia sine somno esset nimia debilitas et hebetatio virium sensitivarum; et, per consequens, impediretur intellectus, quia intellectus impeditur impedito phantasmate. Aliter dicitur quod non patitur propriè quis dānum in somno sicut in isto actu, quia post somnum vigoratur intellectus, sed post istum actum hebetatur: ita quod per istum actum non tantum privatur quis illo bono, sed redditur minus aptus et habilis ad aliquod bonum post illum actum; oppositum est de somno. — Sed contra ista arguitur (dist. 32, q. 1). Quia perpetuus usus rationis est majus bonum quam actus virtutis. Et ideo qui per aliquem actum privaret se perpetuo usu rationis, peccaret mortaliter. Sed carentia usus rationis pro momento, non est tantum in alium sicut actus oppositus actui virtutis. Nec quodecumque privans usum rationis ad tempus est peccatum: nam nimia tormenta ita impediunt usum rationis sicut voluptates; et tamen martyres, scienter (8) se expONENTES ad talia tormenta, non peccabant, sed merebantur.

II. Argumentum Aureoli. — Contra eamdem (9) arguit Aureolus (dist. 31, q. 1, art. 1). Quia nullus actus virtutis indiget aliquo excusante. Sed actus matrimonii est actus virtutis. Ergo, etc.

(2) videlicet. — Om. Pr.

(6) cap. 13. — Om. Pr.

(7) scilicet. — Om. Pr.

(8) scienter. — scientes Pr.

(9) Contra eamdem. — Quarto Pr.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Argumenta Durandi et aliorum. — Contra secundam conclusionem arguit Durandus, et alii quidam (α), probantes quod cognoscens uxorem ad vitandum fornicationem non in uxore, sed in se, non peccet.

Primo. Quia plus tenetur quis sibi quam alteri. Sed indistincte, propter vitandam fornicationem in conjugie, petens debitum non peccat. Ergo multo minus propter vitandam in se.

Secundo. Quia non potest dici quod vitare fornicationem in alio pertineat ad redditionem debiti, plus quam vitare in seipso. Quia reddere debitum, est cum petitur expresse, vel interpretative, quando scit illam tentari de seipso. Sed quando non petit ab isto, nec tentatur de isto, sed specialiter de alio, tunc, si cognoscatur, non est redditio, sed pure petitio, sicut et si pro se petat.

Tertio. Quia passio non est peccatum nisi deordinet hominem. Sed quando ratio eam ordinat, et eam praevenit et reprimit, tunc ipsa non deordinat. Unde, cum homo hunc actum eligat ne passio ad peccatum impellat eum, non est peccatum.

Quarto. Quia, si passio precedens fuit vitiosa, quia forte tentatio (ε) de aliena praevenit judicium rationis, tamen non sequitur quod actus sequens sit vitiosus, qui non sequitur ex passione, sed imperatur a ratione volente corrigere quod omisit vel amisit.

Quinto. Quia actus qui non (γ) est de se malus, et ordinatur in bonum finem, non sit male. Sed actus matrimonii, de quo queritur (δ), est hujusmodi. Ergo, etc.

Sexto. Quia quando principalis finis non est possibilis, licitum est intendere secundarium finem. Sed principalis finis matrimonii est liberorum procreatio, secundarius autem est vitatio fornicationis, magis in seipso, quam in alio; unde Apostolus (*1. Corinth. 7, v. 2*), *propter fornicationem vitandam*, vult quod habeat unusquisque suam, et unaquaque virum suum. Unde, si senes et steriles, qui prolem habere non possunt, propter fornicationem vitandam contrahant, non peccant. Licet autem ad illum (ε) finem convenire, ad quem licet contrahere. Ergo, si tibi licet contrahere, et per consequens petere debitum (ζ), propter prolem, ulsi est possibilis; sic, ubi illa non est possibilis, sicut licet contrahere propter vitandam fornicationem in seipso,

(α) Haec argumenta, quæ inveniuntur apud Durandum, dist. 31, q. 4. Auctor resert juxta formam quam ipsis dedit Petrus de Palude, dist. 31, q. 2.

(ε) *tentatio.* — *tentatus* Pr.

(γ) *qui non.* — *quando* Pr.

(δ) *Sed actus matrimonii, de quo queritur.* — *de quo queritur.* *Sed actus matrimonii* Pr.

(ε) *autem ad illum.* — *ad secundum* Pr.

(ζ) *debitum.* — Om. Pr.

sic propter hoc licet convenire et debitum petere. Non sic autem licet convenire propter sanitatem: quia illa non est finis matrimonii, nec principalis, nec secundarius. Unde, et si homo aliter non possit sanari nisi cognoscendo uxorem, non propter hoc deberet eam cognoscere: quia, quamvis finis esset bonus, tamen non esset bonus hujusmodi actus; quia, sicut dicitur vulgo, *Ista cauda non est in isto vitulo*; sicut nec propter hoc licet baptizari. Ergo, etc.

§ 3. — CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Argumenta Scoti. — Contra tertiam conclusionem arguit Scotus (dist. 30, q. 2), probando quod beata Virgo non voverit castitatem solum sub conditione, scilicet nisi Deus aliter disponeret.

Primo. Quia in omni voto, quantumcumque absoluto, intelligitur hinc conditio, *si Deo placet*: quia nullus debet Deo offerre aliiquid, velit ipse aut nolit, nec ordinate intendit offerre sic; ergo cum ista conditione sic intellecta stat votum simpliciter et absolute.

Secundo. Quia sancti conjiciunt (α) hoc ex illo verbo interrogationis ejus ad Gabrielem (Luc. 1, v. 34): *Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognosco?* Si enim tantummodo non cognovisset, et sine firmo proposito nunquam cognoscendi, nulla esset quæstio: quia in posterum cognita, cum non esset sterilis, concepisset. Et ideo fuit quæstio de modo (ε) supernaturali, quia firmissime voverat vel disposuerat se nunquam cognoscendam a viro. Et ad hunc intellectum exponit Augustinus (γ): *Spiritus Sanctus superveniet in te.*

Tertio. Quia dicentes ipsam non simpliciter vovisse, hoc ponunt, quia, si simpliciter vovisset, non potuisset contrahere matrimonium: — Sed non valet: quia illa duo sunt compossibilia. Quia in contractu matrimonii est mutua datio corporum ad carnalem copulam, non nisi sub conditione implicite, *si petatur*. Unde contrahentes cum proposito statim vovendi castitatem vere contrahunt. Hæc autem conditio non prejudicat voto castitatis, posito etiam contractu matrimonii, nisi illa conditio ponatur in effectu. Ergo ubi est certitudo simpliciter quod nunquam ponatur in effectu, ibi in nullo prajudicat voto castitatis contractus matrimonii. Sed hic fuit talis certificatio. Ex quo enim, Matth. 1, habemus quod angelus instruxit Joseph, dicens (v. 20), *Noli timere accipere Mariam in conjugem tuam*, multo magis indubitanter concluditur quod ipsa per angelum, vel immediate a Deo, antequam desponsaretur ipsi Joseph, fuit certitudinaliter

(α) *conficiunt.* — *convejciunt* Pr.

(ε) *modo.* — Om. Pr.

(γ) Cfr. inter alia Serm. 225, 290, 291.

edicta: *Noli timere accipere Joseph virum justum in conjugem; ecce enim Spiritus Sanctus dabit tibi cum in custodem et testem virginitatis, qui tecum pari voto contineat, et in multis tibi ad custodiam virginitatis congruentibus obsequatur.* Nec mirum de ista probabilitate, cum quidquid factum est in Joseph per visionem angeli, totum factum est ratione Mariæ, quæ fuit immediata in illa ineffabili et mirabili conceptione, scilicet unigeniti Filii Dei. — Item, adultera habet potestatem corporis viri sui, quia per matrimonium fuit sibi data, et indefectibiliter data; et tamen non habet nec habere potest usum illius, propter peccatum prohibens perpetuo usum, stante potestate data in matrimonio. Multo magis ergo, propter aliquam causam honestam, posset ordinare quod aliqua daret alteri potestatem corporis sui, sine intentione unquam dandi usum. Et multo magis liceret contrahere, si sciret dictum conjugem nunquam petiturum (z).

Quinto. Arguit per exemplum, dicens quod hujusmodi exemplum haberri potest, *Extra, de Verborum significacione*, cap. *Exiit qui seminat*, lib. 6, ubi dicitur sententia litera quod, retento dominio, concedere aliis usum non est inutile, quia usus est necessarius utentibus. Et a simili, in proposito, concedere potestatem corporis sui ad talē actum, si petatur, retento tamen usu sibi, quia ab illo non petetur, non est inutile. Tamen istud exemplum palitur calumniam: quoniam non ita videtur quod usus possit reservari, domino tradito, sicut econtra; quia posterius magis traditur sine priori, quam econtra. Sed quoad hoc valet, quod alicui potest competere unum sine alio. In proposito tamen Maria nec usum sibi refinuit auctoritate sua; sed certificata fuit a Spiritu Sancto quod nunquam alias, cui usus debebatur, illum exigere.

Sexto. Arguit per aliud exemplum. Quia, si quis contraxisset sponsalia cum juramento, et post vovisset virginitatem, videtur illi constendum quod consumaret sponsalia, contrahendo de facto, ut servaret fidem in juramento; et tamen, ut servaret votum, statim ante consummationem deberet homo volare ad ordinem. Ergo licet isti dare potestatem corporis sui conjugi, contrahendo vere matrimonium ratum, et tamen cum intentione nunquam dandi usum, quantum est ex parte sui, etiam sine hoc quod sciat illum nunquam talē (6) usum petiturum. Ergo multo magis liceret contrahere, si sciret praedictum conjugem nunquam petiturum. — *Hæc Scotus.*

Et in hoc secundus articulus terminatur.

(z) *petitum.* — *peccatum* Pr.

(6) *quantum est ex parte sui, etiam sine hoc quod sciat illum nunquam talē.* — *videtur etiam ex parte sui hoc quod scit nunquam illum* Pr.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scoti. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem

Ad primum Scoti, dicitur quod consequentia ibidem facta nullius est apparentia. Quia actus matrimonii, in statu innocentiae, nullam haberet jacturam annexam; sed modo habet. Ideo, licet tunc non egisset excusatione vel recompensatione, tamen pro statu isto indiget. Unde bona quæ nunc excusant matrimonium, tunc fuissent perficiencia matrimonium, sed non excusantia; nunc autem perficiunt et excusant: sicut, pro illo statu, gratia non deleret peccata, sed gratum faceret Deo; nunc autem habet triplicem actum, scilicet delere peccata, sanare natūram, et gratum facere Deo. De hoc sic dicit Petrus (dist. 31, q. 1): « Actus carnalis, secundum quod est in officium naturæ, indiget excusatione, cum indifferenter se habeat ad actum matrimonii et fornicationis. Excusatur autem per circumstantias, que trahunt eum ad hoc quod sit actus matrimonii. Et illæ circumstantiae sunt bona *prolis*, *fidei* et *sacramenti*; quibus (z) actus carnalis etiam tempore innocentiae redditus fuisset bonus. Quod autem non dicatur pro tempore illo indiguisse excusatione, pro tanto est, quia, durante statu illo, non erat possibile actum carnalem illis circumstantiis carere, sicut modo. » — *Hæc Petrus*, et bene. — Unde, statu innocentiae durante, quicumque actus carnalis fuisset actus matrimonii, non solum materialiter, quoad substantiam, immo quantum ad omnes circumstantias virtutis; nec poterat aliter esse. Nunc autem non omnis actus carnalis, etiam inter conjuges, est actus matrimonii formaliter, nec actus virtutis.

Ad secundum patet per idem. Loquimur enim de matrimonio consummato et perfecto ultimata perfectione, quale non fuit matrimonium Mariae et Joseph, nec matrimonium spirituale, de quo arguens loquitur. Ideo non sequitur, si matrimonium imperfectum non eget excusatione, quod matrimonium perfectum non egeat: cum tota necessitas excusationis ortum habeat ex actu matrimonii exercebito vel intento, et non ex ipsa essentia matrimonii; nec etiam ex actu, nisi pro quanto actus ille ponens est. Modo praedictus actus (6) in honestus esset sine bonis praedictis; immo nec esset actus virtutis, nec actus matrimonii; quia praedicta bona perficiunt actum illum non per modum cause extrinsecus, sed per

(z) *quibus.* — *qui* Pr.

(6) *Modo praedictus actus.* — *modo praedicto*, aut Pr.

modum principii formalis et circumstantiae intrinsecæ, prout est actus virtutis. De hoc sanctus Thomas, in *Quarto*, dist. 31, q. 4, art. 1; in solutione secundi, sic dicit: « Ista bona, que matrimonium honestant, sunt de ratione matrimonii; et ideo non indiget eis quasi exterioribus quibusdam ad honestandum, sed quasi causantibus in ipso honestatem quæ ei secundum se competit. » — Hæc ille. — Item, in solutione tertii, sic dicit: « Matrimonium, ex hoc ipso quod est in officium vel remedium, habet rationem utilis et honesti; sed utrumque eorum ei competit ex hoc quod hujusmodi bona habet, quibus sit officiosum, et remedium concupiscentiae adhibens. » — Hæc ille. — Item, in solutione quarti, sic dicit: « Aliquis actus honestatur et virtute quasi principio elicito, et ex circumstantiis quasi formalibus principiis ipsius. Hoc autem modo se habent predicta bona ad matrimonium sicut circumstantiae ad actus virtutis, ex quibus habet quod actus virtutis esse possit. » — Hæc ille, etc.

Ad tertium dicitur quod responsiones ibi recitatae, sufficienter evanescunt argumentum. — Sed plenam ibidem factam, dicitur quod, licet privatio usus rationis (a) momentanea vel abnegatione temporis non sit peccatum aut culpa, est tamen poena; ideo indiget aliqua recompensatione, que dicitur excusatio. Et similiter electio talis poenæ secundum se esset culpa, nisi intenderentur dicta bona præponderantia tali poenæ. Ideoque instantia de martyrio non valet: quia etiam electio talis poenæ culpa esset, si secundum se eligeretur. De predictis sanctus Thomas, dist. 31, q. 2, art. 4, ubi arguit sic (secundo loco): « Si bonum malo addatur in genere moris, totum efficit malum, non autem totum bonum: quia una circumstantia mala facit actum malum, non autem una bona facit ipsum bonum. Sed actus conjugalis secundum se est malus, alias excusatione non indigeret. Ergo bona matrimonii adjuncta non possunt ipsum bonum facere. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod ratio illa procederet, si malum quod inseparabiliter concomitatur concubitu, esset malum culpæ; nunc autem non est malum culpæ, sed poenæ tantum, que est inobedientia concupiscentiae ad rationem. » — Hæc ille. — Item, in solutione primi, sic dicit: « Per actum matrimonii non incurrit homo damnum rationis quantum ad habitum, sed solum quantum ad factum. Nec est inconveniens quod quandoque actus melior secundum genus suum interrumpatur pro aliquo minus bono actu: hoc enim sine peccato fieri potest; sicut patet in eo qui ab actu contemplationis cessat, ut interdum actioni vacet. » — Hæc ille. — Ex quibus patet ad argumentum.

De predictis Petrus de Palude (dist. 31, q. 1) dicit, contra rationem Durandi: « Contra hanc ratio-

nem, inquit, est: quia per istam rationem omnis actus indifferens æqualiter indigeret bonis excusantibus; et sic comedere (quia potest bene et male fieri, nec differt specie comestio temperata ab intemperata nisi in genere moris) indigeret excusatione. Si dicatur, sicut ipsi dicunt, quod non ita absorbetur ibi ratio sicut hic; — ergo non sola indifferentia et identitas speciei cum malo actu est causa propter quod inde sumenda est ratio quod rationem absorbet. Aliquid enim est indifferens dupliciter. Uno modo, per omnimodam æqualitatem abstrahendi a bono et malo; et isti non assignantur aliqua bona excusantia. Alio modo, sic quod possit bene et male fieri, magis tamen de se tendit ad malum quam ad bonum, et, sibi relictum, est malum, nisi aliquo addito trahatur ad bonum. Exemplum primi est levare festucam. Exemplum secundi est in somno, qui bene et male potest eligi, et tamen, quia in eo ligatur liberum arbitrium, ut non possit bene cogitare nec bene velle, habet detrimentum boni rationis annexum; unde, secundum somnum in se consideratum, non differt felix a misero, 1. *Ethicorum* (cap. ult.). Unde non potest somnus eligi nisi male, nisi propter aliquod bonum recompensans illud temporale damnum rationis: puta quia post somnum homo promptior surgit ad bonum virtutis; quia nimis vigilia etiam usum rationis perderet. Et ideo somnus de sui natura requirit bona excusantia: puta conservationem individui, quietationem virium naturalium, vel aliam fortificationem digestionis, et hujusmodi. Et ita est hic: quia vacans conjugio cogitat quæ mundi sunt, et divisus est, et in actu illo nihil intelligere potest; unde indiget bonis excusantibus. » — Hæc Petrus, et bene, nisi pro quanto videtur innuere quod bona matrimonii sint extrinseca et superaddita ipsi actui matrimonii; quod non est verum.

II. Ad argumentum Aureoli. — Ad argumentum Aureoli, patet responsio per dicta sancti Thomæ allegata et recitata in solutione secundi. Unde sciendum quod de actu matrimonii contingit loqui dupliciter. Primo modo, materialiter, et quoad ejus substantiam. Et sic, cum de se sit indifferens ad bonum et malum, indiget excusatione extrinseca, scilicet circumstantiis constituentibus eum in medio virtutis, et facientibus eum esse actum matrimonii formaliter; quia actus ille quoad substantiam suam non habet omnia quæ sunt de ratione virtutis, nec est actus virtutis, nisi materialiter, vel in potentia aut aptitudine. Secundo modo, contingit loqui de actu matrimonii formaliter, prout comprehendit substantiam actus et omnes circumstantias virtutis. Et, ut sic, adhuc indiget excusatione intrinseca, prout omne exigere dicitur indigere, eo modo loquendi quo dicitur quod omne totum indiget suis partibus, id est, exigit partes. Et isto modo omnis

(a) a. — Ad. Pr.

actus virtutis moralis indiget excusatione intrinseca, id est, debitas circumstantias exigit, sine quibus esset vitiosus; et potissimum actus carnalis, qui semper habet annexam pœnam et incommodum rationis, ut supra dictum est. Sic ergo actus matrimonii, quantumcumque virtuosus, indiget excusatione, qualitercumque consideretur, vocando excusationem recompensationem damni vel pœnae, non autem excusationem a culpa que insit, sed quæ inesset, si dictis circumstantiis careret.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Durandi et aliorum. — Ad primum contra secundam conclusionem, respondet Petrus (dist. 31, q. 2), dicens quod « homo plus tenetur peccatum proprium vitare, quam alium a peccato retrahere. Sed pluribus modis potest se a peccato retrahere quam alium. Unde, sicut vir qui potest seipsum aliter cohimbere, magis eligit ad hoc voluptatem absorbentem rationem quam alijud sobrium reddens, peccat; sic, si mulierem quam includendo vel aliter poterat cohimbere, magis eligit cohimbere cum sua voluptate, non est dubium quod peccat; quia non nisi propter voluptatem prefert hoc medium alii medio magis consono rationi, et aequivalenti ad finem. Sed, si vir timens in uxore etiam inclusa alias damnabiles corruptelas, non putans eam aliter melius cohiberi quam per actum quem non ipsa petit, propter hoc solum debitum petit, non peccat, sicut nec in seipso. Et similiter, quia uxor non habet virum corrigere, si videt virum de aliis tentatum, et inter alias volentem conversari, propter hoc solum debitum petat (z) ut ipsum cohibeat, similiter excusatur ». — Haec Petrus, et bene.

Ad secundum dicit (ibid.) quod « verum est quod non plus tenetur vitare fornicationem in alio quam in seipso. Nec ad redditionem debiti pertinet hoc vel illud, nisi prout redderet laige bonum fidei respicit. Ad bonum enim fidei pertinet quod neuter aliam copulam requirat, nec mutuam copulam renuat. Si ergo mutua copula alias non queratur, sed, ne alia (6) requiratur, ista expetitur, vel pro se, vel pro alio, in casu in quo non appetet melius vitanda quam per illum modum, tunc fidelitas excusat ». — Haec ille.

Ad tertium dicit (ibid.) quod « major est vera, et minor falsa: quia passio rationem deordinat, quando finem poterat aequa habere non perdendo usum rationis, si propter voluptatem alias actum eligit absorbentem rationem, non plus conferentem ad debitum finem ». — Haec Petrus.

Ad quartum dicit (ibid.) quod « verum concludit ratio, si non posset defectum corrigerre aequa bene aliquo modo non absorbente rationem. Dicunt

enim sic aliquae moniales: *Volumus multum dormire, quia, quandiu dormimus, nihil mali cogitamus, et, quando vigilamus, multis malis cogitationibus occupamur.* Et bene dicent, si non meliori modo, vigilando et orando, diabolo resisterent, quam delectatione somni, qua caro fota fortior resurgit. Et iterum, sicut nihil mali cogitant, sic nihil boni faciunt, et forte tunc tempus orandi transit. Ita et hic. Si quis enim tentatus obdormiret, ut dormiens sine peccato pollutione delectaretur, certum est quod peccaret: quia vigilando et orando potius temptationem debuit reprimere, quam dormiendo in duello se facere impotentem resistere, quo modo impotentem se facit, qui actui illi consentit ». — Haec Petrus.

Ad quintum dicit (ibid.) quod « ipse eligens potius matrimonium quam virginitatem, ut sic, non peccat: quia non tenetur ad illam, nisi velit. Sed si dicatur quod peccat, quia eligit pati detrimentum in bonis rationis; — dicendum quod excusatur. Quia, si hoc fecit intentione prolis, quam sperat, recompensatur dammu per hoc quod est bonum prolis. Si autem facit hoc intentione vitandi fornicationem, quam, propter fragilitatem suam, probabiliter timet aliter se vitare non posse, et non propter voluptatem, quam magis vult vitare sic quam aliter, sed non querens voluptatem propter se, sed solum propter hoc ut sic fornicationem melius vincat, hoc facit, non peccat; et sic intelligitur *melius est nubere quam uri* (1. Corinth. 7, v. 9) ». — Haec Petrus.

Ad sextum dicit (ibid.) quod « propter finem secundarium licet convenire, quando principalis non speratur, nec secundarius melius haberi potest. Nam, si aliter posset haberi sine detimento rationis, et convenitur cum detimento, utpote cum voluptate, culpa est ». — Haec ille, et bene, et concorditer dictis sancti Thomæ. — Et facit ad confirmationem praedictorum: quia matrimonium, prout est officium naturæ, includit quemdam contractum aliqualis justitiae, quæ semper est ad alterum; et ideo matrimonium per se ordinatur ad satisfacendum alienæ petitioni, et non propriæ necessitati.

Verumtamen, pro majori declaratione praedictorum, ponit Petrus duas conclusiones, dicens (ibid.): « Hic sunt duas opiniones. Una dicit quod petere debitum, propter vitandam fornicationem in seipso, et non in altero, semper est peccatum: quia omnis superabundantia passionis (z) est peccatum; sed omnis petitio debiti, quæ est propter hanc solam causam, semper est superabundantia passionis (6); ergo, etc. Alii dicunt oppositum. Propter quod sic videtur distinguendum, ut sint duas conclusiones. Quia aut ipse cognoscit uxorem causa vitandi in seipso forni-

(z) debitum petat. — impedit Pr.

(6) alia. — alias Pr.

(z) passionis. — petitionis Pr.

(6) passionis. — petitionis Pr.

cationem, quamvis possit aliter vitare; sed magis vult isto modo delectabili quam aliо non delectabili, domando carnem, vel fugiendo aliarum consortia, vel non loquendo solus cum sola, et sic posset faciliter evitare; sed magis vult cum voluptate quam sine illa. Et tunc peccat venialiter: quia praeferit voluptatem carnis absorbentem rationem ei quod conservat usum rationis et aequum attingit ad finem; sicut, si homo sitiens, potens satisfacere necessitati naturae bibens lymphatum minus delectabile, quod non hedet caput, et eligit situm extinguere eum vino fortis, quod est magis delectabile, quod inebrabit eum vel in toto vel in parte, peccat, non ratione finis, sed ratione medii incompetentis. Haec est prima conclusio. Et in hoc sensu vera est prima opinio. — Secunda conclusio est quod, si ipse ideo actum illum exercet ad vitandum in seipso fornicationem, non quia delectabilior, sed quia non potest pro tune alio modo meliori ipsam vitare, ita quod voluptas in nullo movet, sed solum amor vitanda fornicationis, quam pro tune non potest melius vitare, quia necesse habet loqui diu in secreto et loco suspecto alteri mulieri, et expertus est se de ea tentatum saepe, sed, quando semel usus est illo actu, ad multos dies refrigeratus, non tentatur, tune nullum peccatum est, si proles non (*z*) speratur, quia tune semper illa praemittenda esset. Hoc autem reducitur ad bonum fidei, quo continetur non solum debitum reddere, sed ad aliam non accedere: nam, si semper debitum redderet, et tamen ad aliam accederet, contra bonum fidei nihilominus faceret. Unde, si propter hoc peteret debitum a sua, ne indebitum exigat ab extranea, propter fidelitatem hoc facit, et bono fidei deseruit. Et haec est secunda conclusio. Et in hoc sensu vera est secunda opinio. » — Haec Petrus, et bene.

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Scoti. — Ad primum Scotti contra tertiam conclusionem, respondet Petrus (dist. 30, q. 2), quod, « licet conditio divina voluntatis intelligi debeat in omni voto et proposito, tamen perfectionis est illam exprimere. Et sic fuit hic. » — Haec Petrus, et bene. — Ideo dicendum ad argumentum, quod, licet cum tali conditione intellecta habitualiter, et non actualiter, nec expressa verbaliter, stet votum absolutum, si tamen illa conditio actualiter sit intellecta, volita et expressa, votum non est absolutum, sed mere conditionatum. Et tale fuit votum beatae Virginis ante ejus desponsationem, excepta vocali expressione, quam nondum habuerat, ut dictum est in quarta conclusione.

Ad secundum dicitur quod beata Virgo, ante

annuntiationem Gabrielis, votum duplex voverat de virginitate servanda. Primum fuit ante desponsationem ejus; et illud fuit conditionale et mentale duntaxat. Secundum fuit post desponsationem, et ante adventum Gabrielis; et istud fuit absolutum, et non solum mentale, immo verbale, et cum teste, scilicet sposo suo, qui concorditer cum ipsa perpetuam virginitatem vovit. Et ideo argumentum non cogit quod ante matrimonium virginitatem absolute vovisset, sed solum ante annuntiationem Gabrielis. Haec solutio patet ex dictis sancti Thomae prius recitatis in tertia conclusione. Opinio arguentis est expresse contra Augustinum, ut patet ex dictis ejus per Magistrum recitatis, dist. 30, cap. 2, ubi etiam ponit istam solutionem in sententia ex dictis Augustini.

Ad tertium, negatur minor. Quia votum de virginitate servanda absolute factum ante contractum matrimonii, et similiter conditio de virginitate servanda interposita in contractu, facit matrimonium nullum esse. Ideoque, si beata Virgo tale votum emisisset, non contraxisset verum matrimonium cum Joseph, vel, illud attentando, peccasset. De hoc sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 2, art. 4, q^{ta} 2, ubi arguit sic, primo loco: « Voventibus virginitatem, velle nubere, non solum nubere, damnabile est, ut Augustinus (*z*) dicit (*de Bono viduitatis*, cap. 9; et habetur in glossa, 1. *Timot.* 5). Sed nihil damnabile debuit esse in beata Virgine. Ergo, postquam virginitatem vovit, non debuit nubere. » Eece argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum quod, post votum virginitatis absolute factum, non potest aliquis in matrimonio consentire sine peccato, etc., » ut recitatum est in quarta conclusione. Item, in solutione secundi, sic dicit: « Beata Virgo, antequam contraheret cum Joseph, fuit divinitus certificata quod Joseph in simili proposito erat; et ideo nubens non se commisit periculo. Nec tamen propter hoc aliquid veritati matrimonii deperit: quia illud propositum non fuit in consensu conditionaliter appositum; talis enim conditio, cum sit contra bonum matrimonii, scilicet prolem procreandam, matrimonium toleraret. » — Haec ille.

De predictis Petrus de Palude sic dicit (dist. 30, q. 2): « Beata Virgo consensit non solum in cohabitationem domus, sed etiam in copulam conjugalem; similiter autem in copulam carnalem, sub conditione, si Deus *cam* juberet; et sic non fregit votum. Primum patet: quia consensus in solum convictum, vel cohabitationem; non faceret matrimonium; alias inter fratres et sorores, parentes et liberos, posset esse matrimonium. Secundum patet: quia (*6*) in copula conjugali est essentia matrimonii;

(*z*) *Augustinus.* — *Hieronymus* Pr. — Cfr. pag. 507, col. 4, not. *a*.

(*6*) *quia.* — *quod* Pr.

unde consensus in illam solam, etiamsi de nullo alio cogitetur, facit verum matrimonium; quod potest esse inter steriles habentes impotentiam coeundi, similiter multo magis inter potentes, sed nolentes carnaliter commisceri; sicut esset verus baptismus, si aliquis intenderet baptizari, licet non curaret de re sacramenti, propter quam tamen est principaliter baptismus. Tertium patet, scilicet quod non consensit in carnalem copulam simpliciter et explicite: quia hoc fuisse contra votum virginitatis. Nec exclusit eam simpliciter et explicite: quia irritasset matrimonium, secundum communioem opinionem, quia fuisse contra substantiam vel saltem contra bonum matrimonii, et contra finem principalem, qui aliter haberi non potest; vel, si non irritasset matrimonium, quia non est conditio in honesta, licet contraria, tamen non debuit aliquid exprimere absolute in matrimonio, quod lege communi esset contra matrimonium, antequam sibi revelatum esset. Quartum patet, scilicet quod non fecit contra votum: quia vel nihil cogitavit de carnali copula, vel non consensit in eam nisi sub conditione, *si Deus eam juberet*, sperans sibi a Domino revealandum quid faciendum esset; et similiter ipsa non voverat non contrahere matrimonium, sed non cognoscere virum, nisi Deus ordinaret. » — Hæc Petrus, et bene.

Ex prædictis ergo patet quod qui vovit absolute et simpliciter virginitatem, si postea confrahat, dando corpus suum conjugi ad carnalem copulam; non absolute, sed sub conditione illa, *si petatur*, peccat mortaliter, veniendo auctoritate propria contra votum; et quod ille contractus præjudicat absoluto voto castitatis, quia qui taliter vovit, non potest sine peccato dare corpus suum carnali conjugi, quod semel Deo dedicavit, vel saltem promisit absolute, nisi hoc fiat auctoritate Dei, vel ejus locum tenentis: sicut nec monialis professa potest contrahere cum illa conditione, quantumcumque sit certificata quod conjux cui se dat, nunquam petet ab ea carnalem copulam; quia non solum ei damnabile est dare usum corporis, immo dare potestatem sui corporis.

Ad quartum dicitur quod similitudo ibidem adducta non valet: quia bene possibile est aliquem, ex culpa sua, vel ex causa honesta, privari usu sue rei, remanente potestate super rem (sicut cum conjuges, post matrimonium rite contractum et consummatum, pari consensu vovent continentiam); sed secus est in easu argumenti, ubi mulier, post votum absolutum continentiae, non habet potestatem nec auctoritatem dandi sine peccato corpus suum carnali conjugi, auctoritate propria, nec absolute, nec sub conditione. Si tamen hoc fieret auctoritate Dei, vel prælati, secus esset. Et ad hunc sensum dicit sanctus Thomas, ubi supra (dist. 30, q. 2, art. 1, q^{la} 2), in solutione tertii: « Copula carnalis cecidit implicite sub consensu beatæ Vir-

ginis, sicut actus implicite continetur in potentia. Potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati; nec aliquid diminuit de puritate illius, nisi ratione actus; qui quidem nunquam fuit in proposito beatæ Virginis, sed erat jam certificata quod actus nunquam sequi deberet. » — Hæc ille.

Quod autem beata Virgo non voverit virginitatem simpliciter et absolute, antequam de hoc esset specialiter divinitus edocta, nec in primo voto suo, ostendit sanctus Thomas dupli ratione. Primam tangit, 3 p., q. 28, art. 4, ubi arguit sic (primo loco): « Dicitur, *Deuter. 7* (v. 14): *Non erit apud te sterilis utriusque serus*. Sterilitas autem sequitur virginitatem. Ergo servatio virginitatis erat contra præceptum legis veteris. Sed adhuc lex vetus habebat statum, antequam Christus nasceretur. Ergo non potuit licite beata Virgo virginitatem vovere pro tempore illo. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod quia videbatur esse lege prohibitum non dare operam ad relinquentium semen super terram, ideo non simpliciter virginitatem vovit Dei genitrix, sed sub conditione, *si Deo placaret*. Postquam autem innotuit hoc esse Deo acceptum, etc., » ut supra, in conclusione tertia. Item, in praesenti distinctione, q. 2, art. 1, q^{la} 1, in solutione primi, sic dicit: « Beata Virgo fuit consinuum veteris et novæ legis, sicut aurora diei et noctis. Et ideo votum ejus sapit novam legem, inquantum virginitatem vovit; et veterem, inquantum conditionem apposuit. » — Hæc ille. Secundam rationem assignat ibidem. Arguit enim sic, secundo loco: « Votum virginitatis pertinet ad perfectionem consiliorum. Sed talis perfectio debuit a Christo inchoare, qui venit legem consiliis adimplere. Ergo ante Christi adventum non debuit virginitatem vovere. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum quod perfectio consiliorum, quantum ad consummationem, incipere debuit a Christo; sed quantum ad aliquam inchoationem, convenienter a matre ejus incepit. » — Hæc ille. — Simile dicit, 3 p., ubi supra (q. 28, art. 4), in solutione secundi: « Sicut gratiæ plenitudo perfecte quidem fuit in Christo, et tamen aliqua ejus inchoatio præcessit in matre; ita etiam observatio consiliorum, quæ per gratiam Dei fit, perfecte quidem incepit in Christo, sed aliquo modo fuit inchoata in Virgine matre ejus. » — Hæc ille.

Quonodo autem votum simplex, vel solempne, impediat matrimonium, dicetur latius in sequentibus.

Ad quintum dicitur quod, licet potestas corporis possit concedi, retento usu, et non concessio; tamen talis datio illicita est ei qui vovit absolute castitatem, ut dictum est (ad tertium et ad quartum). Et similiter, si conditio illa de retentione usus apponetur in consensu matrimonii, potissime si expri-

meretur exterius, matrimonium nullum esset, ut dictum est (ad tertium). Ideoque hoc non habet locum in beata Virgine, quia licite et vere contraxit. Et ideo votum suum precedens matrimonium non fuit absolutum, sed conditionatum. — Exemplum autem quod adducitur de illa decretali, dubium est apud multos : quia videtur eis quod implicet contradictionem, quod aliquis licite utatur aliqua re, et quod nullam habeat potestatem, nec aliquod jus utendi ea; quia nihil sit juste, nisi quod sit jure. Ideoque decretalis illa multis fuit in laqueum, et erit, nisi bene intelligatur et glossetur. Nec oportet timere (α) sententiam excommunicationis quam conditor illius tulit contra glossantes; quia Papa Joannes XXII suspendit illam sententiam tanquam periculosam, sicut habetur in *Chronicis Bernardi Guidonis* (θ).

Ad sextum dicitur quod consilium quod arguens dat, malum est, et perversum : quia taliter vovens, post sponsalia jūfamento firmata, ex quo firmiter proponit servare continentiam, non debet contrahere matrimonium ad deludendum mulierem et decipiendum, quae putat sibi tradi potestatem et usum corporis viri; potissimum quia vir contrahens cum tali intentione actu et explice apposita in consensu, non contrahit veraciter matrimonium, sed simulate, et committit sacrilegium, abutens sacramento Ecclesiae, et committit fictionem et mendacium facti. Nec valet quod dicit arguens, quod, ad servandum juramentum, debet contrahere, etc. Hoc enim non oportet; quia, dato quod non contrahat, dum tamen religionem intret, excusatur a reatu perjurii. De hoc Petrus de Palude (dist. 27, q. 1) sic dicit : « De sponsalibus juramento firmatis, dicunt quidam quod peccat intrans religionem, ipsis non impletis, cum possit intrare ante carnalem copulam : sicut ille qui juravit solvere usuras, quamvis statim possit solutas repetere, tamen, ratione juramenti, tenetur solvere, *De jure jurando*, cap. (γ) *Debitores*; et qui vovit intrare religionem, si in Episcopum eligatur, tenetur prius intrare religionem, licet iterato possit ad episcopatum redire, *De voto et voti redemptione*, cap. *Per tuas nobis litteras intimasti* (δ). Hoc etiam est securius, Extra, *De sponsalibus et matrimonii*, cap. *Commissum*, ubi dicitur : *Tutius est ei, religione jura-*

menti servata, prius contrahere, etc. (ε). — Sed Innocentius (θ) et Hostiensis (γ) sunt contra, super illud, *suspirat* (cod. cap.). Unde Innocentius sic dicit : « Non dicit (δ), *Votum fecerat*; alioquin, si alligatus esset, vel Papæ dixisset, *Domine, statim volo intrare*, Papa respondisset, *Amice, et tu intra*, et non dixisset quod contraheret, cum talis contratus esset ad decipiendum. » Et Glossa dicit, ibidem : « Si vult, potest intrare, et non contrahere. » Quando enim id quod de se bonum est, et non impeditivum majoris boni, juratur, implendum est: sicut solvere ultra sortem, non est malum, licet recipere sit malum; immo supererogare est perfectionis; et propter hoc jurans usuras solvere tenetur. Sed intrare religionem non est malum; nec episcopatus impeditivum, cum etiam religiosus sit magis dispositus. Et ideo tenetur servare votum. Sed matrimonium, licet non sit malum, est tamen impeditivum majoris boni, scilicet religionis; quia, licet post matrimonium, possit intrare, ante copulam, tamen de mille non invenitur unus qui hoc faciat. Unde volenti intraire religionem non obstat juramentum sponsalium. — Quod autem dicitur ibi, *tutius*, — dico quod tutius est matrimonium infra tempus statutum contrahere, quam in deliberando tempus contra juramentum protrahere. Sed, si ante tempus velit intrare, non est perjurus, qui legis auctoritate deserit juramentum, ff., *Qui satisfare cogantur*, leg. ult. » — Haec Petrus; et bene: nam, secundum quod dicit Innocentius, et similiter Glossa, super illo cap. *Commissum*, Extra, *De sponsalibus*, licet ille qui, post sponsalia juramento firmata, habuit propositum vovendi castitatem vel intrandi religionem, possit interim sine peccato contrahere matrimonium, et sine peccato non contrahere; tamen, si actualiter vovisset, non posset licite contrahere sine peccato, nec hoc ei consuleendum esset.

Ad argumenta pro et contra questionem (ε), patet responsio per praedicta.

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

(α) *De sponsalibus et matrimonii*, cap. *Commissum*, ubi dicitur : *Tutius est ei, religione jura-menti servata, prius contrahere, etc.* — eodem, *commissam*, *tutius*, etc. Pr.

(θ) Innocentius IV, Summus Pontifex, qui, post Concilium generale Lugdunense I, quoddam commentarium in quinque Decretalium Libros adornavit, privata tamen auctoritate. Hoc opus Papæ Innocentii IV, hujus capellanus Bernardus Compostellanus, cognomento junior, in compendium rediguit, sub titulo : *Margarita Compostellana*. — Cfr. Franc. Laurin, *Introdr. in corpus Juris canonici*, scđt. 2, cap. 6, § 96.

(γ) Cfr. pag. 401, col. 2, not. α.

(δ) *Non dicit*. — Om. Pr.

(ε) *questionem*. — *conclusionem* Pr.

(α) *timere*. — *tenere* Pr.

(θ) Bernardus Gui, seu Guidonis, O. P., Episcopus Lodo-vensis († 1331). Multa historica opera scripsit, inter quae citari possunt : *Annales Pontificum, usque ad Johanni- neni XXII, atque Imperatorum; Speculum sanctorum; Nomina ac gesta Lenoviensium Episcoporum; Genealogia Regum Francie, et de ejusdem regni origine*, etc. Cfr. *Quetif, Echard*, t. 1, p. 578 et seq.

(γ) cap. — Om. Pr.

(δ) *et voti redemptione*, cap. *Per tuas nobis litteras intimasti*. — cap. *Per tuas vidimus* Pr.